

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de .


Das PDF wurde erstellt am: 07.10.2025, 02:32 Uhr.

Johann Bacmeister

**Programma In recitationem Legum Academiae Rostochiensis : [P.P. Rostochii
XXV. Septemb. Anno cl I CXVII.]**

Rostochi[i]: Pedanus, 1617

<https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn734365446>

Druck Freier  Zugang



F. Barmeister.

R. U. Progr. 16.17/d

PROGRAMMA
In recitationem
LEGUM
ACADEMIÆ
ROSTOCHIENSIS.

P. P.
RECTORE
JOANNE BACMEISTERO
Phil. & Med. D. & Professore.



Rostochi
Typis Joachimi Pedani, Anno 1617.

ROSTOCK
IN REGISTRATION
L. E. G. M.
ACADEMIE
ROSTOCKENSIS



Rostock
1717



RECTOR
Academiae Rostochiensis
JOANNES
BACMEISTERUS

PHIL. ET MED. D. ET
PROFESSOR P.



QVòd à prædecessoribus
nostris gravi & prudenti,
Consilio est constitutum,
id religiosè & sincerè no-
tis servandum arbitra-
mur. Placuit autem ut
singulis semestribus Leges nostræ in publico
civium Academicorum coetu recitarentur,
ne qui nostram jurisdictionem agnoscunt
A 2 ullam

ullam earum ignorantiam jure merito præ-
tendere queant; sed ut omnes quotquot ve-
ra & actualia hujus Academiæ membra esse
volunt, se ad earum observantiam obstrictos
esse sciant, idq; eò magis, quod Leges hæ no-
stræ, non ex Solonis aut Lycurgi, sed ex ipsis
naturæ legibus, menti humanæ in prima crea-
tione à Deo opt. max. impressis, adeoq; ex
Decalogo ipsa Dei voce in monte Sinai pro-
mulgato, ipsiusq; digito tabulis lapideis in-
sculptis, de promptæ & ad usum Reipub. no-
stræ litterariæ ab antecessoribus nostris pru-
denter sunt accommodatæ. Quantum verò
utilitatis, toti humanæ vitæ & singulorum
studijs & moribus Leges præstent, sedulo &
frequenter est inculcandum; quod nempe
sint vincula & nervi, conjungentes & conti-
nentes totam hominum societatem; & quod
omnis Imperiorum & rerum publicarum sa-
lus ac tranquillitas ex legib. dependeat. Nul-
la est autem brevior & eruditior summa
omnium honestarum Legum, cum publi-
cam tum privatam vitam coram Deo & ho-
mini-

minibus regentium, quàm Decalogus, ex quo quicquid est recti & honesti, æqui, iusti & salutaris in universo genere humano, tanquàm ex salutari & perenni scaturigine id omne profilit atq; emanat. In hoc enim tanquàm in tabella quâdam omnium magistratum ac subditorum officia describuntur, & tota societatis civilis harmonia continetur & confirmatur. Optandum equidem esset, omnes homines spontè sua facere, quæ recta ratio præscribit; verùm cum plurimi, proh dolor, reperiantur, qui vel stupiditate quadam ingenij, vel quòd indices experimur, malitia & perversitate naturæ etiam contra iudicium rectæ rationis ruant, & multis modis contumaciter delinquant, tranquillitatem publicã perturbent, & multipliciter peccent: ideò necesse fuit Leges extare, quæ unumquemq; in suo vitæ genere, de officio suo rectè administrando, & de alijs honestis actionibus admoneant, simulq; poenam certam ijs denuntient, qui contra Leges petulanter & protervè delinquant. Hu-

A 3.

jusmo-

jusmodi verò Legibus ex Decalogo de-
promptis quibus & studia & mores tam do-
centium quam discentium regantur, cum
& nostra respub. litteraria sit instructa eas,
pro laudabili hujus Academiæ more &
consuetudine, cras hora IX. publicè recita-
ri curabimus, ad earumq; diligentem & at-
tentam auscultationem ac observantiam,
omnes & singulos jurisdictionem nostram
agnoscentes, tam Dominos Professores,
Doctores, Magistros, quàm Studiosos juve-
nes, amicè invitamus & ut recitationi huic
frequentes intersint seriò hortamur. Quo-
niàm verò inter alias Leges, una extat, quæ
severissimè & sub gravissima poena prohi-
bet, ne quis libellis famosis, famam cu-
juspiam laceret aut suggillet; & hisce su-
perioribus diebus reperti sint in studiosorum
nostrorum numero, qui hujusmodi chartas
famosas, sub hoc nostro magistratu publi-
cè affigere non sunt veriti, parum pensi ha-
bentes, quod sacratissimi Imperatores, in exi-
stimationis & famæ alterius detrectatores,
etiam

etiam capitis poenam tulerint, ijs denuntia-
mus certissimè futurum, ne poenam in Le-
gibus præfinitam, ubi depræhensi fuerint,
ulla ratione evitent & nos scelere depræhen-
tis strenuos executores fore magno suo malo
experientur. P. P. Rostochij XXV. Septemb.
Anno clō Io CXVII.



Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is faint and difficult to decipher but appears to include a date: "Anno d. 1674".



minibus regentium, quam D
 quo quicquid est recti & honesti
 & salutaris in universo genere
 quam ex salutari & perenni
 omne profilit atq; emanat. In
 quam in tabella quâdam omniu
 tuum ac subditorum officia de
 tota societatis civilis harmoni
 & confirmatur. Optandum e
 omnes homines spontè sua fac
 cta ratio præscribit; verùm
 prohdolor, reperiantur, qui
 quadam ingenij, vel quòd i
 mur, malitia & perversitate
 contra iudicium rectæ rationis
 tis modis contumaciter delin
 quillitatem publicã perturbent
 citer peccent: ideo necesse fuit
 quæ unumquemq; in suo vit
 officio suo rectè administrand
 honestis actionibus admoneant
 nam certam ijs denuntient, q
 ges petulanter & protervè delin

A 3.

